



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLIII. Differentia 24. Iure civili mulier non accusat de adulterio virum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure civili mulier non accusat de adulterio virum. *lib. 1. C. ad l. Iul. De adult. cap. Apud misericordem. § publica. 22. Q. 1.* Iure Canonico autem videtur acculare posse. *cap. Tua. De procur. Bart. 165. Io. Bapt. à S. Blasio 161.*

I. Ex *1. C. ad l. Iul. De adult.* Severi & Antonini Imp. est, mulieres non habere adulterii accusationem, quamvis de matrimonio suo violato queri velint. Quod *Gottifr. Glossa* interpretatur de adulterio cum virgine, aut vidua commisso: posse verò accusare, si cum aliena uxore deliquerit. *Novell. 134.*

Pro eo, quod *Barolus c. Tua. De procur.* allegat ad probandum, uxori licitum esse de adulterio maritum accusare, melius adduxisset *c. Christiana. 32. Q. 5.* ubi legimus. Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat: sed viros suos non facile mulieres de adulterio accusant, & non habent lateantia peccata vindictam.

Huc pertinet *Catonis senioris dictum ab A. Gellio annotatum l. 10. Noct. Artic. c. 23.* In adulterio uxorem si deprehenderit, sine iudicio impunè ne caveris: illa te, si adulterates, digito non auderet contingere, neque ius est. Benè tamen *VVurmserus notat l. pract. c. 7.* quamvis iure civili maritum non accuset de adulterio, agere tamen posse injuriarum, quia

injurià afficitur, à viro, qui alijs adhaerens fidem, & pactum conjugale non servat. *v. Gloss. & DD. in l. 1. & l. eum, qui de as. C. ad l. Iul. De adult.*

II. In *c. Tua igitur*, ex *Glossa* sensu probatur, virum ab uxore de adulterio accusari posse, non minus, quam à marito vxor accusatur: sed non solet facile, & frequenter contingere, idque ex triplici causa, *Primo* propter verecundiam, quæ mariti turpitudinem uti communem propalare vetat. *Secundo* propter timorem, ne durior em ex accusatione dominum inveniatur. *Tertio* quia viri cautius peccant, furtaque sua oculis mulierum, & cognitioni facilius subtrahunt. Nihil ex quo prodatur nequitia à congressu relinquitur. *v. Abb. in c. plerumq. De den. int. virum & uxorem. Dornspers Tr. Di. exception. causarum criminalium.*

Par. 1. sect. 4. cap. 13. num. 86.

* *
*